INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM

JAGELLONICA

INDE

A DIE 1 OCTOBRIS ANNI MDCCCXLI

USQUE

AD MEDIUM MENSEM JULIUM ANNI MDCCCXLII

HABENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS.

Za pozwoleniem Cenzury Rządowéj.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI
UNIVERSITATIS STUDIORUM JAGELLONICAE CRACOVIENSIS
RECTOR
CUM
SENATU ACADEMICO
CIVIBUS LITERARUM STUDIOSIS S.

Quam difficilis quamque molestus eorum sit labor, qui explicandis veterum scriptis dant operam, hoc tum ex quotidianis sermonibus nostris, tum e librorum lectione vel tacentibus nobis ipsi cognovistis. At longe difficiliorem ac molestiorem suscipiunt, qui studium suum ad ea emendanda edendaque conferunt. Cujus quidem rei causa quae sit, si quaeritis, breviter Vobis indicabimus. Postquam felici quodam literarum fato ignorantiae tenebrae paulatim discuti, et opera graeca latinaque, quae diu barbarie oppressa jacuerant, veluti e ruina depromta in lucem protrahi coepta sunt, ignota etiamtum typographica arte, manu describebantur libri legentium usui inservituri. Ad quod negotium adhibebantur plerumque homines aut plane indocti, sed qui literas exarare scirent taediumque scribendi ferre possent; aut, quod longe pejus est, semidocti, utpote cognitione literarum vix mediocriter tincti. In horum numero praecipuum locum tenent literarum artiumque studiosi, qui hoc labore vitae subsidia sibi comparabant, atque coenobiorum alumni, qui ob delicta ea afficieban-

tur poena, ut ingentes voluminum moles describere cogerentur. Hi igitur antiqui Romanorum sermonis maxima ex parte ignari, quae non intelligebant verba, ea imitatione exprimere conabantur, aut in alia ductibus similia, et sibi quidem nota, sed ab sententia auctoris plane abhorrentia, misere transformabant; quo fiebat, ut libros ejusmodi legentes, etiam si perfecte planeque eruditi et acutissimo ingenio praediti essent, pleraque aut omnino non intelligerent, aut aliter, quam debebant, intelligere cogerentur. Depravationes ejusmodi non propagabantur tantum a posterioribus librariis, sed etiam quo saepius describebatur liber, eo magis eorum augebatur numerus. Accedit huc quoque, quod docti indoctique lectores pro ingenio quisque suo res ad intelligendum minus apertas, aut paulo obscuriores, vel singulis verbis, vel pluribus in margine libri adscriptis explicabant; quae librarii postea veluti a describente omissa jure quasi postliminii in textum recipiebant, ne per somnum quidem cogitantes, quantas difficultates hac sua inscitia futuris editoribus allaturi essent. Id denique Vos considerare oportet, codices antiquos, ex quibus veluti e puro ac limpido fonte turbidi illi coenosique rivi fluxerant, si non omnes, at certe plerosque interiisse. Unde venit, ut, qui opus aliquod antiquum sunt edituri, a codicibus destituti, ab ingenio suo subsidia petere, et locos corruptos non secus ac vulnera conjecturis sanare cogantur. Hanc sortem quum cuncti, quotquot ad nos pervenerunt, scriptores experti sunt, tum haud scio an maxime Plinius, auctor historiae naturalis; cui post tot ingentes virorum doctorum labores, a quibus plus centum codices inspecti consultique sunt, obstetricias quasi manus nunc cummaxime adhibet Silligius. Duo hujus operis codices in bibliotheca nostra asservantur integri et in quibus nullius lacunae reperiuntur vestigia; alter membranaceus fol. min. eleganter ac nitide scriptus, scriptura typos

referente, literis cujuscunque libri initialibus coloribus auroque mire excultis, quem Episcopus Jacobus de Senno ex Italia advectum Universitati donavit [1]); is ad sec. 13 referendus videtur: chartaceus alter maj. fol. et ipse satis venuste literis longiusculis paulo inclinatioribus exaratus, ignotae originis, ab Hieronymo Godziałkowski Burgrabio Crac. bibliothecae testamento legatus a. 1636 [2]); quem seculo 14 extremo scriptum credimus [3]). Uterque vix mediocribus adnumerandi sunt ob multa vitia et interpolationes ineptas; neque tamen in tanta bonorum penuria omnino spernendi, et quos editori futuro impune praeterire non licebit. Quantum e collatione nonnullorum locorum perspicere potuimus, satis inter se consentiunt; praecipue autem membranaceus adeo Londinensem sequitur, ut ex eodem uterque fonte fluxisse, aut alter ex altero descriptus esse videatur.

Quae quidem a nobis dicta exemplo ut confirmentur, epistolae ad Vespasianum initium cum Silligiano textu collatum oculis subjicere placet; praesertim quum eo nos non solum Vobis rem utilem et gratam facturos, sed et exteris, quibus nostra ignota sunt, maxime autem Plinii studiosis, gratificaturos speramus. Sed spatio consulentes membranacei quidem codicis scripturam integram exhibemus; chartacei lectionis nonnisi discrepantiam in notis indicamus.

[1]) In imo margine primae paginae rubro pigmento haec scripta sunt: „Hunc librum Reverendissimus pater dominus Jacobus de Senno Episcopus Wladislaviensis donavit Universitati Cracoviensi pro collegio artistarum Anno Domini MCCCCLXXI.“ in fine autem: „Hunc librum Rev: pater D. Jacobus de Senno Sedis Apostolicae prothonotarius Gnesnensis et Cracoviensis Ecclesiarum praepositus Anno Domini MCCCCLIX bononie pro LXIIII florenis (intelligendi sunt numi aurei holandici) comparavit.“ Leguntur quoque haec: „Hunc qui scribebat Petrus de le nomen habebat, Vitam degebat medicine dum finiebat.“

[2]) In fine legitur „Plinii opus magnum et praeclarum etiam si totius vitae fuisset Pancratio curante absolutum.“

[3]) Qua quidem de re ut cuique libera sit judicandi facultas, utriusque codicis scripturae imaginem in fine exhibuimus.

Sillig.

C. Plinius Secundus Vespasiano suo salutem.

Libros naturalis Historiae, novitium Camenis Quiritium tuorum opus, natos apud me proxima fetura licentiore epistola narrare constitui tibi, iucundissime Imperator, (sit enim haec tui praefatio verissima, dum maximo consenescit in patre), namque tu solebas putare esse aliquid meas nugas:—ut obiicere moliar Catullum conterraneum meum, (agnoscis et hoc castrense verbum): ille enim, ut scis, permutatis prioribus setabis duriusculum se fecit, quoniam volebat aestimari a Veraniolis suis et Fabullis:—simul ut hac mea petulantia fiat, quod proxime non fieri questus es, in alia procaci epistola nostra, ut in quaedam acta exeant sciantque omnes quam ex aequo tecum vivat imperium. Triumphalis et Censorius tu, sexiesque Consul, ac Tribuniciae potestatis particeps, et quod his nobilius fecisti, dum illud patri pariter et equestri ordini praestas, Praefectus prae-

Codex noster membran.

C. Plinius Secundus Vespasiano suo salutem [4]).

Libros naturalis historie novicium camenis quiritum tuorum opus *natos* [5]) apud me proxima fetura licentiore epistola narrare constitui tibi jocundissime imperator. Sit enim hec tui prefatio verissima dum maximo consenescit in patre, namque tu solebas putare esse aliquid meas nugas, *ut obiter molliam Catulum* [6]) conterraneum meum, agnoscis et hoc custrense verbum. Ille enim ut scis permutatis prioribus *sillabis* [7]) duriusculum se fecit, quoniam volebat existimari a *vernaculis tuis et famulis. Simul in* [8]) hac mea petulantia fiat quod proxime non fieri *questus es. In alia* [9]) procaci epistola nostra ut in quedam *acta* exeant [10]) sciantque omnes quam ex equo tecum vivat imperium triumphale et censorium *ius. Ex eisque* [11]) consul ac tribunicie potestatis particeps et quod *hijs* nobilius [12]) fecisti dum illud *patri* [13]) pariter et equestri ordini prestas prefectus *pretorii* [14])

[4]) Novocomensis cet. uterque codex ignorat, quod a librariis invectum videtur.— [5]) nactus.— [6]) ut obicere moliar Catullum.— [7]) syllabis. Hujus verbi, quod ante Harduinum editiones, ni fallor, omnes habent, non meminit Silligius.— [8]) Simul ut hac.— [9]) questus es in alia.— [10]) quedam *astra* exeant.— [11]) jus, ex eisque.— [12]) et quod *id* nobilius.— [13]) *pater*, a manu secunda *patrie*, in margine *p. p.*— [14]) *pretorio* (sed

torii eius; omniaque haec Reipublicae, et nobis quidem qualis in castrensi contubernio. Nec quidquam in te mutavit fortunae amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses, ut velles. Itaque cum ceteris in venerationem tui pateant omnia illa, nobis ad colendum te familiarius audacia sola superest. Hanc igitur tibi imputabis et in nostra culpa tibi ignosces. Perfricui faciem nec tamen profeci, quoniam alia via occuris ingens et longius etiam submoves ingenii fascibus. Fulgurat in nullo unquam verius dicta vis eloquentiae, Tribuniciae potestatis facundia. Quanto tu ore patris laudes tonas? quanto fratris amas? quantus in poetica es? O magna fecunditas animi! quemadmodum fratrem quoque imitareris, excogitasti. Sed haec quis possit intrepidus aestimare, subiturus ingenii tui iudicium, praesertim lacessitum? Neque enim similis est conditio publicantium et nominatim tibi dicantium. Tum possem dicere: Quid ista legis, Imperator? Humili vulgo scripta sunt,

eius omniaque hec reipublice et nobis quidem qualis in castrensi *contubernio nequaquam* [15]) mutavit in te fortune amplitudo in *hijs* nisi ut *prodesset* [16]) tantundem posses ut velles. Itaque *cum* [17]) ceteris in veneratione tui pateant omnia illa nobis ad colendum te familiarius audacia *sola superest* [18]) hanc igitur tibi imputabis et in nostra culpa tibi ignosces. Perfricui faciem nec tamen profeci quoniam alia via *occurrit* [19]) ingens et longius etiam *submones* ingentibus fascibus *fulgorari.* [20]) In nullo *unquam* [21]) verius dictabis eloquentie tribunicie potestatis facundie [22]) quanto tu ore patris laudes tonas quanto fratres amas quantus in *poetici* es [23]). O magna fecunditas animi quemadmodum fratrem *imitaris* [24]) excogitasti. Sed hec quis posset intrepidus *extimare* [25]) subiturus ingenii tui juditium presertim lacessitum. Neque enim similis est [26]) conditio publicantium et nominatim tibi *dicentium* [27]) tum possem dicere quid ista legis imperator humili vulgo scripta sunt. Agricola-

i a manu secunda in *o* mutatum) ejus. Omniaque. — [15]) contubernio. Nec quicquam. — [16]) prodesse. — [17]) quom. — [18]) superest sola. Hanc. — [19]) occuris-sumones. — [20]) Ita et alter codex. — [21]) *unquam* in margine additum. — [22]) Ita in utroque libro legitur. — [23]) fratris amas quantus in *pericia* es. In margine serius adscriptum *poetica.* — [24]) fratrem quoque imitareris. — [25]) estimare. — [26]) Addita hic sunt in utroque codiae verba: in quo utique vituperatio uniuscujusque continetur. — [27]) dicantium. —

agricolarum, opificum turbae, denique studiorum otiosis: quid te iudicem facis, qui, hanc operam cum dicerem, non eras in hoc albo? Maiorem te sciebat, quam ut descensurum huc putarem. Praeterea est quaedam publica etiam eruditorum reiectio. Utitur illa et M. Tullius, extra omnem ingenii aleam positus, et (quod miremur) per advocatum defenditur: „nec doctissimis: Manium Persium haec legere nolo, Iunium Congum volo.“ Quod si hoc Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putavit, si Cicero mutuandum, praesertim cum de Republica scriberet, quanto nos causatius ab aliquo iudice defendimur? Sed haec ego mihi nunc patrocinia ademi nuncupatione, quoniam plurimum refert, sortiatur aliquis iudicem an eligat, mnltumque apparatus interest apud invitatum hospitem et oblatum. Cum apud Catonem, illum ambitus hostem et repulsis tanquam honoribus ineptis gaudentem, flagrantibus comitiis pecunias deponerent candidati, hoc se

rum opificum turbae *deinde* [28]) studiorum ociosis, quid te iudicem facis, quia hanc operam cum dicerem *venias* [29]). In hoc albo maiorem te sciebam quam ut descensurum huc putarem. Preterea est quedam publica eciam eruditorum reiectio. Utitur illa et M. Tulius extra omnem *ingenitaliam* [30]) positus. Et quod miremur per advocatum defenditur *doctissimis manium* persium [31]) hec legi volo *nimium cogu* volo [32]) quod si hoc lucilius qui condidit stili nasum [33]) dicendum sibi putavit cicero mutuandum presertim cum [34]) de re p. scriberet quanto nos causatius ab aliquo iudice defendimur. sed hec ego mihi nunc patrocinia ademi *nuncupatione quoniam* [35]) plurimum refert sortiatur aliquis iudicem an eligat multumque apparatus interest apud invitatum hospitem et oblatum, *cum* [36]) apud catonem illum ambitus hastem et repulsis tanquam honoribus ineptis gaudentem flagrantibus comitiis pecuniam deponerent candidati hoc se facere quod tum pro inocencia rebus humanis

[28]) denique.— [29]) Magis inepte alter: *noemas*.— [30]) Ita uterque.— [31]) doctissimum omum persium.— [32]) iunium cotigii volo. (In margine ante *iunium* additum *vel*).— [33]) Hic uterque codex in parenthesi habet: „quasi abusionem et vituperationem. Primus enim satiricum carmen conscripsit in quo utique vituperatio uniuscujusque continetur nasum autem dixit quoniam vituperationis signum ut maxime naso declarandum.“— [34]) quom.— [35]) nuncupatione. Quam.— [36]) quom

facere, quod tum pro innocentia rebus humanis summum esset, profitebantur. Inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio: O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet! Cum Tribunos appellaret L. Scipio Asiaticus, inter quos erat Gracchus, hoc attestabatur vel inimico iudici se probari posse. Adeo summum quisque causae suae iudicem facit quemcunque, cum eligit, unde provocatio appellatur. Te quidem in excelsissimo humani generis fastigio positum, summa eloquentia, summa eruditione praeditum, religiose adiri etiam a salutantibus scio. Et ideo curavi, ut quae tibi dicantur, condigna sint. Verum diis lacte rustici multaeque gentes e more faciunt, alia qui non habent; nec ulli fuit vitio, deos colere quoquo modo posset. Meae quidem temeritati accessit hoc quoque, quod levioris operae hos tibi dedicavi libellos. Nam nec ingenii sunt capaces, quod alioquin nobis perquam mediocre erat, nec admittunt excessus aut orationes sermonesve, aut casus mirabiles, vel eventus varios, iucunda dictu ac legentibus blanda, sterili

summum esse profitebantur. Inde illa nobilis M. Ciceronis *suspicatio* [37]). O te felicem M. Porci a quo rem improbam petere nemo audet. cum tribunos appellaret L. Scipio asiaticus inter quos erat gracchus hoc testabatur vel *unico* [38]) iudici se probari posse. Adeo summum quisque cause iudicem facit quemcumque *cum* [39]) eligit inde provocatio appellatur. Te quidem in excelsissimo generis humani fastigio positum summa eruditione preditum religiose adiri eciam a salutantibus scio et ideo curavi *quod tibi dicatur* [40]) cum digna sint verecundis lacte rustici multeque gentes et mola tantum salsa litant qui non habent [41]) nec ulli fuit *iuditio* [42]) deos colere quoquo modo posset. Mee quidem temeritati accessit hoc quoque quod levioris opere hos tibi dedicavi libellos, nam nec ingenii sunt capaces quod alioquin nobis perquam mediocre neque *amittunt* excessus aut oraciones sermonesve apud *causas mirabiles* [43]) vel eventus varios iocunda dictu ac legentibus blanda sterili materia. rerum natura hoc est vita [44]) narratur et hec sordidis-

[37]) suspiratio. O rem felicem. — [38]) inimico. — [39]) tum. — [40]) que tibi dicantur tum digna sint vere cum diis. Lacte. — Sic in utroque. — [42]) vitio. — [43]) Sic uterque. — [44]) vicia. —

materia. Rerum natura, hoc est, vita narratur et haec sordidissima sui parte, ut plurimarum rerum aut rusticis vocabulis aut externis, immo barbaris, etiam cum honoris praefatione ponendis. Praeterea iter est non trita auctoribus via, nec qua peregrinari animus expetat. Nemo apud nos, qui idem tentaverit, nemo apud Graecos, qui unus omnia ea tractaverit. Magna pars studiorum amoenitates quaerimus, quae vero tractata ab aliis immensae subtilitatis, obscuris rerum tenebris premuntur. Iam omnia attingenda, quae Graeci τῆς ἐγκυκλοπαιδείας vocant, et tamen ignota aut incerta ingeniis facta. Alia vero ita multis prodita, ut in fastidium sint adducta. Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam et naturae suae omnia.

sima sui *parte aut* plurimarum rerum autem rusticis [45]) vocabulis aut externis *ymo* barbaris cum [46]) honoris prefacione ponendis. Preterea *interest.* non trita auctoribus via nec quare *peregrinari* animus *expectet* [47]). Nemo apud nos quidem attemptavit, nemo apud grecos qui unus omnia ea tractavit, [48]) magna pars studiorum amenitates querimus que vero tractata ab aliis dicuntur [49]) immense subtilitatis obscuris rerum tenebris premuntur. An omnia attingenda que greci [50]) vocant et tamen ignota aut incerta ingeniis facta alia ita multis prodita ut in fastidium adducta [51]). Res ardua vetustis novitatem dare novis auctoritatem obsoletis nitorem obscuris lucem fastiditis graciam dubiis fidem omnibus vero naturam et nature sue *vim.*

[45]) parte plurimarum rerum ac rusticis. — [46]) imo barbaris *tum* (correxit secunda manus). — [47]) interest non trita auctoribus via peregrinari nec quare animi expectet. — [48]) tractaverit. — [49]) *tracta.* Ceterum mira nostri membranacei cum Londinensi consensio facit, ut nobis vix credibile sit, verbum *dicuntur* a Lond. abesse. — [50]) verba τῆς ἐγκυκλοπαιδείας librarius noster aut non invenit in codice, ex quo describebat, aut ob ignorantiam literarum graecarum omisit. Chartaceus codex habet: tesenei diapedias. — [51]) Ita egregie a nostro comprebatur Silligii emendatio. Alter codex habet: ut in fastigium sint adducta.

Jam vero, quorum causa is nobis susceptus est labor, ad Vos orationem convertimus, juvenes ornatissimi, qui literis artibusque in nostra Universitate studiorum perdiscendis operam navatis.

Scholarum initium facturi Vos, quantum in nobis est, hortamur, ut, sive vitae futurae subsidia quaerentes, sive ingenii tantum excolendi causa limina nostra adiistis, cuicumque disciplinae artive Vos dederitis, nobis eam tradentibus assidui auditores non corporibus solum sed et animis adsitis, eosque Vos praestetis, ut nobis semper laudandi, nunquam vituperandi aut castigandi occasionem praebeatis. Valete.

Oleam theophrastus e
celeberrimis grecorum
auctoribus urbis rome
anno circa quadrin
gentesimo sexagesimo
negavit nisi intra qua
draginta milia pas
suum ab mari nasci. fe
nestella non omnino
non fuisse in italia. hi
spania atque affrica. tarquinio prisco regnante
ab annis ipsius ro. centum octaginta tribus. que nunc
pervenit trans alpes quoque et in gallias hispaniasque
medias urbis quidem anno quingentesimo quinto
appio claudio ceci nepote. l. iunio consulibus olei
libre duodene assibus venière. et mox anno
sexcentesimo octogesimo. m. servius. edilis cu
rulis olei duas libras singulis assibus praestitit po
pulo ro. per totum annum minus ea miretur quod sciat

VENTUM EST.
ad summam naturae exemplorum que per rerum ordi
nem est quam sua sponte occurrit immensum
potentie occulte documentum ut profusi ne
quid aliud ultra queri debeat. nec par aut si
mile possit invenire. ipsam se vincit natura
et quidem innumeris modis. Quid enim violentius
mari ventisque turbinibus ac procellis.
quo maiore hominum ingenio nulla sui parte
adiuta est quam velis remisque addatur his
et reciproci estus inennarrabilis vis. versu
que totum mare in flumen. Tamen omnia hec pariterque eodem impellentia unus ac
parvus admodum pisciculus echinus appellatus in se tenet ....

ORDO THEOLOGORUM.

CAROLUS TELIGA

S. TH. D. P. O. P. H. T. FACULTATIS THEOLOGICAE DECANUS.

Historiam Ecclesiasticam et Patristicam, auditoribus anni primi in utroque semestri, diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora **10 — 12**; diebus vero Martis et Jovis, ab hora **10 — 11**; die autem Saturni ab hora **11 — 12** explanabit.

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. O. P.

Theologiam Pastoralem auditoribus anni tertii, semestri hyemali diebus Lunae et Martis, ab hora **9 — 11**, die Jovis ab hora **10 — 11**; diebus vero Veneris et Saturni, ab hora **10 — 12**, duce Povendra, semestri aestivo iisdem horis et diebus Eloquentiam sacram duce Skidełł, Catecheticam et Didacticam, duce Veincopf, tradet.

IGNATIUS PENKA

S. TH. D. P. O. P.

Institutiones dogmaticas auditoribus anni secundi diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora **11 — 12**, duce Klüpfel,

ethicas vero auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ab hora **10 — 11**, duce Stapf, profitebitur.

Cathedra Studii Biblici vacat.

Archaeologia et Hermeneutica auditoribus anni primi semestri hyemali diebus Lunae, Martis et Mercurii, ab hora **2 — 3**, duce Ackermann et Alber, lingua hebraica et syro-chaldaica, diebus Jovis et Veneris, per utrumque semestre, ab hora **2 — 3**, duce Jahn et Oberleitner, semestri aestivo, Exegesis SS. Librorum Veteris Foederis, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ab hora **2 — 3**, duce Calmet, Introductio in Libros Veteris et Novi Foederis, auditoribus anni secundi, semestri hyemali diebus Lunae, Martis et Mercurii, ab hora **9 — 10**, duce Ackermann et Alber, semestri aestivo iisdem diebus et horis Exegesis Novi Foederis, nec non semestri hyemali die Saturni, ab hora **2 — 3**, lingua arabica, et semestri aestivo, eadem hora et die Exegesis sublimior tradetur.

Auditores anni primi praelectionibus Paedagogiae, anni vero secundi praelectionibus Juris Canonici, interesse tenentur; secus ascensu carebunt.

ORDO JURISCONSULTORUM.

FELIX SŁOTWIŃSKI

PHIL. ET J. U. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS JURIDICAE DECANUS.

Historiam Juris Romani et Institutiones auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Martis et Saturni ab h. **8 — 9**, du-

ce Bacchio et Heineccio,— Jus ecclesiasticum auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Veneris et Saturni ab h. 9 — 10 secundum suum opus, cui titulus: *Institutiones juris ecclesiastici* typis editum; Pandectas auditoribus anni 2di per utrmque semestre diebus Lunae, ab h. 8 — 9, diebus vero Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9 — 10, duce Westenbergio e propriis schedis interpretabitur.

ADAMUS KRZYŻANOWSKI

J. U. D. P. P. O.

Jus civile mercantile et processum extrajudicialem auditoribus anni tertii per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni ab hora 8 — 9, et diebus Lunae, Mercurii et Saturni ab hora 9 — 10, duce Delvincourt et Locrée praeleget.

ANTONIUS MATAKIEWICZ

J. U. D. P. P. O.

Leges fundamentales civitatis auditoribus anni primi semestri hyemali diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora 9 — 10, juxta vigentia hac in re statuta ac rescripta, semestri vero aestivo jus criminale tam theoreticum, quam positivum austriacum et polonum iisdem horis exponet.— Auditoribus autem anni tertii processum civilem judicialem per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab hora 9—10, et diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni ab hora 10—11, juxta obligantes codices nec non eorum commentatores Jenull, Feuerbach et alios novissimos explicabit.

FERDINANDUS KOJSIEWICZ

J. U. D. P. P. O.

Oeconomiam politicam, et jus naturae privatum, publicum et gentium, auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 8—9, et diebus Martis, Jovis et Saturni ab h. 9—10, duce Zeiller, Martini, Say et Skarbek; auditoribus vero anni secundi per utrumque semestre diebus Martis et Saturni ab h. 10—11; Politiam et notitiam status rerum publicarum, juncta reditus publicos tractandi arte, duce Lotz, Rau et Schnabel, tradet.

ORDO MEDICORUM.

LUDOVICUS BIERKOWSKI

PHIL. M. ET CH. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR H. T. FACULTATIS MEDICAE DECANUS

Chirurgiam theoreticam generalem et specialem e propriis scriptis, duce Chelio, per utrumquc semestre auditoribus anni tertii diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 11—12; Chirurgiam practicam auditoribus anni quarti per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Saturni ab h. 10—12; Praxin chirurgicam per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 10—11 docebit.

ALOYSIUS ESTREICHER

PH. ET M. D. P. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Historiam naturalem universalem auditoribus anni 2di Philosophiae per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab h. 10—11;

Mineralogiam et Zoologiam auditoribus anni primi Medicinae semestri hyemali diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 11—12, duce Berzelio, Leonhardo et Oken; semestri aestivo iisdem auditoribus Botanicam generalem et specialem duce Richard et Winkler diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 6—7, explanabit.

JOSEPHUS BRODOWICZ

M. D. P. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR.

Pathologiam et Therapiam specialem e propriis scriptis duce Hildebrand et Reimann, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora 9—10, Praxin medicam iisdem diebus ab h. 8—9, auditores anni quarti et quinti docebit.

FLORIANUS SAWICZEWSKI

M. D. P. P. O.

Pharmaciam diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora 7—8, duce Geiger,— Chemiam generalem nec non practico-forensem, duce Berzelio, Dumas et Hünefeld, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8—9, per utrumque semestre auditoribus anni primi et secundi nec non chirurgis inferioris ordinis exponet.

FRIDERICUS SKOBEL

M. ET CH. D. P. P. O.

Hodegeticen medicam duce Friedlaendero auditoribus anni primi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris semestri hyemali ab hora 3—4, tradet. Qua finita iisdem horis auditoribus anni tertii Pathologiam generalem praeeunte Starkio per utrumque semestre exponet.

Pharmacodinamicen una cum arte formulas medicas concinnandi e propriis schedis, Therapiam generalem duce Conradio, et Diaeteticen duce Wildbergio, per utrumqre semestre auditoribus anni 3tii diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8—9 explanabit.

ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Anatomiam, duce Bock, auditores anni 1mi per utrumque semestre diebus Lunae, Martis Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 10—11,

Physiologiam, duce Müller, auditores anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 2—3 docebit.

Exercitationes anatomico-practicae a mense Octobri ad Aprilem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 9—10, et 2—3, auxiliante Adjuncto a Candidatis instituentur.

JOSEPHUS MAJER

M. ET CH. D. P. P. O.

Elementa Psychologiae et Logices, Physiologiam et Pathologiam generalem, elementa Physices, Therapiam generalem et Pharmacodynamicen, Pathologiam et Therapiam specialem, Chirurgis inferioris ordinis explicabit in utroque semestri diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 8—9 et 3—4; aestivo vero tempore iisdem, nec non auditoribus medicinae anni tertii diebus Lunae et Jovis ab hora 3—4 Veterinariam generalem et doctrinam de morbis epizooticis et contagiosis, praeeunte Wagenfeldio tradet.

FRIDERICUS HECHELL.

M. ET CH. D. P. P. O.

Historiam Medicinae et Chirurgiae ducibus Sprengel et Hecker auditoribus anni quinti utroque semestri diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 2—3, iisdem semestri hyemali medicinam forensem duce Henke, aestivo vero tempore politiam medicam ducibus Bernt et Niemann, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 11—12 tradet.

JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Theoriam artis obstetriciae auditoribus anni tertii nec non feminis artem obstetr. discentibus semestri hyemali, ducibus Froriep et Carus, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10,— doctrinam de morbis feminarum duce Joerg auditoribus anni quinti semestri hyemali diebus Martis et Jovis ab h. 3—4, iisdem vero horis semestri aestivo de morbis infantum ducibus Henke et Wendt exponet.—Praxin artis obstretriciae, auxiliante Adjnncto, auditores anni quinti nec non feminas arti obstetr. vacantes docebit per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni ab hora 7—8.

ORDO PHILOSOPHORUM.

JOSEPHUS JANKOWSKI

PHIL. ET J. U. D. P. P. O. H. T. FACULTATIS PHILOSOPHICAE DECANUS.

Psychologiam et Logicam auditoribus anni 1mi semest. hyem. diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Satnrni ab h. 8—9.

Ethicam auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Veneris ab hora 8—9.

Historiam philosophiae auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebns Martis, Jovis et Veneris ab hora 9—10 tradet.

MAXIMILIANUS WEISSE

PHIL. ET J. U. D. P. P. O. OBSERVAT. ASTRON. DIRECTOR.

Mathesim sublimiorem per utrumque semestre quotidie ab h. 11—12, duce Burg, Ettingshausen et Poisson tradet.

Astronomiam per utrumqne semestre diebus Martis, Jovis et Saturni ab hora 10—11, duce Santini et Littrow docebit.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI

PHIL. D. P. P. O.

Profitebitur octies per hebdomadem literas latinas et polonicas: et anditoribus quidem anni secnndi tradet diebus Lnnae, Mercurii, Veneris et Saturni hora matut. 8—9; auditoribus anni primi iisdem diebus semestri hiberno hora 9—10, semestri aestivo hora 7—8.

MICHAËL WISZNIEWSKI

PHIL. D. P. P. O.

Historiam universalem auditoribus anni 1mi diebus Jovis, Veneris et Saturni ab h. 11—12, auditoribus vero anni 2di diebus Lunae, Martis et Mercurii ab h. 11—12; Historiam literariam universalem duce Wachler, auditoribus anni 1mi per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab h. 3—4 tradet.

FRANCISCUS XAV. STACHOWSKI

S. THEOL. ET PHIL. D. P. P. O.

Doctrinam religionis auditoribus anni 1mi per utrumque semestre diebus Lunae et Mercurii ab h. 10—11; auditoribus vero anni 2di diebus Mertis et Jovis ab h. 10—11.

Paedagogiam anditoribns anni 1mi per utrumque semestre diebus Veneris et Saturni ab h. 3—4.

Linguam Graecam iisdem per utrumque semestre diebus Lunae et Mercurii ab h. 3—4 tradet.

JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PHIL. D. BIBLIOGRAPHIAE P. P. O. BIBLIOTHECARIUS.

Bibliographiam auditoribus anni secundi per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora 3—4 profitebitur.

LUDOVICUS STEPHANUS KUCZYŃSKI

PHIL. D. P. P. O.

Doctrinam physices auditoribus anni 2di per utrumque semestre quotidie ab h. 2—3, nec non diebus Lnnae, Mercurii et Saturni semestri hiberno ab h. 9—10, semestri vero aestivo ab h. 7—8 exponet.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PHIL. D. OBSERV. ASTRON. ADJUNCTUS.

Professoris Matheseos elementaris, cujus cathedra vacat,vice fungetur. Tradet arithmeticam, algebram; item geometriam, stereometriam, trigonometriam et sectiones conicas explicabit diebus Martis et Jovis h. 9—11, diebus vero Veneris et Saturni h. 10—11 et 2—3.

Praeter has disciplinas extra ordinem tradent:

J. C. Trojański Ph. D. et Prof. p. o. praecepta stili latini bis per hebdomadem semestri aestivo;

Leo Laurysiewisz Th. D. Prof. p. o. artem naturaliter surdos eosdemque mutos tractandi et instituendi;

Laurentius Domański M. et Ch. D. medicinam veterinariam, horis postea designandis.

Adjuncti Professorum Facultatis medicae et philosophicae:

Joannes Cantius Rzesiński Ph. et J. U. D. Adjunctus Bibliothecarii; — Joannes Cantius Steczkowski Ph. D. Adj. Directoris Observatorii Astronomici; — Bobrzyński Blasius M. D. Adj. Directoris instituti medico-clinici; — Rudawski Leonardus M. D. Adj. Professoris historiae naturalis; — Jaszczurowski Josephus M. D. Adj. Directoris instituti chirurgico-clinici; — Bulikowski Franciscus M. D. Adj. Professoris artis obstetriciae; — Gadomski Antonius M. D. Adj. Prof. physicae; — Hałatkiewicz Zeno Pharmaciae Mag. Adj. Prof. Chemiae et Pharmaciae; — Sadkowski Joannes Adjuncti Prof. Anatomiae vice interim fungitur.

Linguam Germanicam Augustus Otremba per utrumque semestre diebus Lunae, Martis et Mercurii, ab h. 3—5,

Linguam Gallicam Franciscus Aubertin quotidie ab hora 11—12,

Linguam Rossicam Hieronymus Mecherzyński iisdem diebus ab hora 2—3, docebunt.

Lectorium in Bibliotheca publica Universitatis semestri hyemali quotidie, exceptis diebus festis, ab h. 9—1; semestri vero aestivo ab hora 9—12 et 3—6; — Observatorium Astronomicum horis 3—6, diebus Jovis et Solis; — Museum Chemicum diebus Veneris ab hora 9—12; — Museum Physicum die Saturni ab hora 9—12; — Museum Zoologicum et Mineralogicum die Saturni ab h. 1—4 tempore hyemali, aestivo vero ab hora 3—6; — Hortus Botanicus quotidie, patebunt. Hospitibus vero extraneis, qui Musea, Biblioth. et Observat. invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum condonare velint.